

Commentariolus in Theod. Geo. Aug. Roose De superfoetatione nonnulla libellum / auctore Jo. Conrad Varrentrapp.

Contributors

Varrentrapp, Johann Conrad, 1779-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : Apud Varrentrapp et Wenner, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/njw2ygzu>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4.
COMMENTARIOLUS

IN

THEOD. GEO. AUG. ROOSE

DE

SUPERFOETATIONE

NONNULLA

LIBELLUM.



AUCTORE

J. O. CONRAD VARRENTRAPP

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
APUD VARRENTRAPP ET WENNER.

MDCCCIII.

T H E S E S.

- I. *Medicus philosophus esse debet.*
 - II. *Medicinae, qualis hucusque erat, scientiae dignitas deest.*
 - III. *Medicina adhuc systemate destituta est.*
 - IV. *Medicus minister naturae est.*
 - V. *Non datur venenum.*
 - VI. *Funiculi umbilicalis deligatio necessaria est.*
 - VII. *Placentae solutio non semper naturae viribus committi potest.*
 - VIII. *Graviditas, uti virginitas, caret signo quodam physiognomonico.*
 - IX. *Femoris exstirpatio omnino repudiari non potest.*
 - X. *Furor transitorius in medicina forensi non admittendus est.*
 - XI. *Cordis vulnus, si qua transpositio viscerum suberat, non ideo pro vulnere per accidens letali haberi potest.*
-



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22415634>

PROOEMIUM.

Primum, quod lectoribus humanissimis me dicere oportet, est, non quidem pruritus aliquem me ad scribendum incitasse, sed antiquum in academiis morem me impulisse ad officium explendum, quod maiores candidatis imposuerunt. Quare hoc opusculum, ea praesertim forma, quam nunc habet, diis inferis mihi liceat tradere. Est enim infans vi in vitam editus, talis vero patri non suavissimus esse solet.

Nolim hic multis quaerere, an bene actum sit, si eiusmodi specimina a medicinae candidatis non solum poscantur, sed etiam literarum auxilio in medium proferantur, tempore scilicet eo, quo tantus librorum numerus, vi quadam externa evocatus, sine ulla ratione temere profunditur. Dubitari saltem potest, aetate ea, qua vix perceperis, quae bonus medicus cognita habere debet, novis rebus efferendis, scientiaeque medicae limitibus proferendis nos vacare posse; nec medicinae candidatum ad experientiam augendam multum collaturum esse; neque vero haec mea est sententia, ut eiusmodi rationibus tam multarum bonarumque dissertationum praestantiam negem, id tamen mihi persuadeo, vel ope aliena natas illas esse, vel auctorem in ea componenda

plus consumpsisse temporis, quam, mea quidem sententia, libello tali impendi debeat, quem paucissimi legunt, et cuius auctorem aliquando poeniteat. Quare optimum mihi visum est, tempori cedere et scribere aliquid, sed simul tempori parcere. Si qui igitur opusculo huic legendo aliquid temporis tribuere voluerint, ii neque hominem in libris admodum versatum, neque virum magna praeditum eruditione exspectare debent, sed fragmenta quasi illius, qui, cum omne suum tempus hucusque in eo impenderit, ut totum scientiae medicinae orbem pernosceret, singulas quasdam eius partes prae ceteris adumbrare neque potuerit, neque voluerit. Huc accedit, quod ad eiusmodi laborem fixa sedes et plura, quam iuuenis habere solet adminicula, necessaria ad bene scribendum sunt.

Hic auctor iuventutis annos, qui semper iure aestimantur praestantissimi, consumpsit, huic vitae se tradidit, et si in hac doctrina ipsi nancisci non licuerit claram veramque cognitionem, tunc vita eius, vegetabili adaequanda, et cum VIRGILIO ipsi dicendum erit:

Sin, has ne possim naturae adcedere partes,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis;
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem silvasque inglorius.

I N T R O D U C T I O.

In ephemeridibus quibusdam, quarum nomen e memoria mihi defluxit, legi libellum inscriptum: ROOSE *de superfoetatione nonnulla*, nunc tertia vice in vernaculam translatum esse. Valde igitur rem istam miratus, gravissimas in eo libello res exspectavi, sed nihil, nisi concinnam descriptionem inveni; cui una quidem versio in usum eorum, qui latinae linguae non satis periti sunt, sufficere mihi videbatur.

Mecum vero reputans, quomodo tam multae proletarii libelli versiones profectae fuerint, hanc putavi eius rei rationem esse, quod, cum omnes medici usque ad nostra tempora persuasi fuissent, rationes, quibus superfoetatio negatur, facilius difficiliusve refelli posse, iam ROOSIUS extiterit in libello illo *) haec dicens: „*Secundum omnia hucusque prolata res eo redire videtur, ut superfoetatio in conditione cum sanitate congrua omnino existere nequeat,*

*) Vid. *de superfoet. nonnulla* §. 10. Quam paragraphum in vernacula versione quibusdam cum mutationibus interpret sic transtulit: „*Nach diesem allen ist eine Ueberfruchtung im gesunden und regelmässigen Zustande unmöglich; nicht, weil die Gebärmutter geschlossen wurde, sondern weil sie durch die Schwangerschaft in ihrem Innern und in ihrer Reizempfänglichkeit dergestalt verändert wird, dass keine zweite Empfängniss eintreten kann. In regelwidrigen Fällen aber, wo ein Weib zwei Gebärmütter hat, kann sie Statt finden.*“ (Beiträge etc. St. II. p. III.)

non autem, quoniam os uteri clauditur,' sed potius, quia graviditate ipsa uteri fabrica ita mutatur, ut novae conceptioni non idonea sit, — ut autem in casibus a statu sano abhorrentibus, in quibus matrix adest humana duplex, superfoetationi locus praebeatur.

Talis vero disquisitio, quae rem cum multis, iisque optime collocatis argumentis omnibus dubitationibus eximere, simulque, constructione quadam organismi adhibita, ad finem perducere videbatur, fieri non potuit, quin et auctori, et sententiae ipsius omnium fere applausum conciliaret; et nunquam mihi in mentem venisset huic applausui aliquid detrahere, nisi non ita multo post in alio ab ROOSIO *) edito libro hunc invenissem paragraphum: „*Superfoetatio, id est, foecundatio iam foecundae mulieris, quae interdum a viduis, quae mortuum infantem protulere, praetenditur, non, nisi ibi fieri potest, ubi per vitium organicum duplex adest uterus, in forma autem naturali non existit. Uterus quidem post conceptionem non, uti olim falso credebatur, clauditur, sed conceptione structura eiusque irritabilitas sic mutatur, ut secunda conceptio fieri non possit.*”

Sic, quod olim ad theoriam generationis tantum prolatum fuit, nunc ad ipsam medicinam forensem applicatur. Hic vero sumtionis precariae usus mihi ultra limites vagari visus est; praesertim, quia haec a medico, qui fato, nescio, quo, intra paucos annos magnam sibi in medicina forensi gloriam et auctoritatem conciliaverat, temere dicta et pro-

*) Grundriss medicinisch-gerichtlicher Vorlesungen. §. 112.

posita videbam. Igitur virum illum praestantem non eam ob causam aggressus sum, ut ex obscuritate ipse evaderem, et hominum in me oculos converterem; neque ad eorum partes, qui de magni cuiusdam viri laudibus statim post mortem ipsius detrudere cupiunt, ut populus credat, ipsos maiores illis esse, transire volui. Nam id ipsum a scribendo me avocare potuisset, quod auctor post mortem non posset se defendere: sed cum auctor noster magnus fuerit vir, praesertim in dicta illa disciplina, et perenne sibi monumentum erexerit, maximamque famam adeptus sit, vulgum reputavi eiusmodi viri auctoritate abuti; et hanc potissimum ob causam ad scribendum animum appuli.

Igitur rei ipsius dignitate, metu ne magni auctoris incerta sententia nonnemini vera existimetur, et antiquo more conatum meum scribendi excusatum velim.

§. I.

Auctor noster non omnes aliorum sententias, qui de hac re scripsere, dignas habuit, quas congereret, et copiosius explicaret, sed in rationibus, quae ad rem suam inprimis valerent, proferendis, refutandis vel limitandis sese continuit. Et ego quoque reliquas omnes sententias ex rationibus in prooemio iam prolatis omittam, exceptis iis, quas ipse maximi momenti esse putaverim.

§. II.

Auctor noster quinque profert rationes, superfoetationem probantes, quae deinde verbis ipsius hic apponam, ne-

qua suspicio corruptionis cujusdam apud alios oriri possit, secundam vero et tertiam rationem tam parvi credo momenti esse, ut de iis uberius dicere non opus sit. Nam se ipsae adeo refutant, ut non, nisi eam ob causam hunc locum iis concesserim, quia eorum, quibus forte libellus auctoris nostri non ad manus fuerit, curiositati satisfacere animus erat.

§. III. -

Sunt vero sequentes rationes:

- „1) Uteri muliebris cavitas in omnibus superficiei internae partibus ad concipiendum est idonea; nulla igitur ratio reddi potest, quare conceptio in parte eius altera locum habere nequeat, quamquam in altera iamiam adsit.
- 2) Haud raro casus inveniuntur foetuum eodem partu, aut aliquot dierum intervallo editorum adeo inaequalium, ut coniectura, alterum eorum maturum, alterum serius conceptum hoc tempore adhuc immaturum esse, veri habeat speciem. Horum casuum, quos apud HALLERUM *) invenias, farragini casum mihi notum addere possem THEBESIANO **) aliisque similem, si eiusmodi casibus momenti aliquid inesset.
- 3) Ex nonnullorum animalium quadrupedum exemplis,

*) Elem. Physiol. Tom. VIII. I. S. V. §. XVII.

**) Nova Acta Acad. Nat. Curios. T. I. Obs. X. p. 65. -- W. CAPPEL Med. Beobacht. Eine Auswahl aus den Novis actis der k. Akad. d. Naturf. I. Goett. 799. S. 39.

in quibus superfoetatio procul dubio locum habet, eam fieri posse probatur.

- 4) Per multis exemplis extra omnem dubitationis aleam positum est, et animalia, et foeminas concepisse et peperisse, foetu prius concepto mortuo, imo lapideo adhuc in utero contento *). „Non dubium igitur est, posse secundum foetum concipi.”**) — „Si enim foemina potest concipere, cuius uterus foetu osseo et marcido impeditur, sano utero facilius alia concipiet ***).
- 5) Casus sunt observati, in quibus duorum foetuum alter longo (usque ad sex menses) temporis intervallo post alterum ex eiusdem matris utero editus est, quorum plura exempla HALLER ****) enarrat.”

§. IV.

Tunc auctor verbis sequentibus in enodanda quaestione pergit.

A) Quod iam primum ad ea, quae *de natura uteri muliebris* pro superfoetatione dicta sunt, attinet, hic inprimis a veritate tam ii, qui superfoetationem esse statuunt, quam illi,

*) Conf. HALLER l. c. p. 466. -- BALDINGER N. Magaz. für Aerzte, B. 4. St. 4. -- Blumenbach in Goetting. gel. Anz. V. 1786. St. 15. -- BAILLIE's Anat. d. krankh. Baues, v. SOEEMMERRING. p. 220. n. 465.

**) HALLER Prim. lin. physiol. §. 429.

***) Elem. Physiol. l. c. p. 467.

****) Elem. Phys. l. c. p. 464.

qui eam in homine existere negant, aberrare nobis videntur. Hi enim non ex natura uteri gravidati demonstrarunt, foetum alterum, conceptione iam facta, concipi non posse; verum potius ratione quadam mechanica superfoetationem fieri posse in homine negarunt, quippe qui docent, iis, quae uterum ferunt, uteri os connivere. Quae sententia ab HIPPOCRATIS *) ad nostra usque tempora **) semper dicta quidem, sed nunquam probata est. B) Observatione enim sexcenties instituta, impraegnatis foeminis in primis graviditatis temporibus sanguinem menstruum ex utero adhuc effluere docetur, uteri os non adeo arcte clausum esse, ut nec sanguis ex utero emanare, nec sperma virile in illum immitti potest. C) Quo etiam modo superfoetatio in animalibus nonnullis, in quibus negari nequit, locum habere posset, uteri ore tam arcte clauso? D) Neque ab observatoribus fide dignissimis haec opinata inventa est occlusio. Amicissimus HILDEBRANDT ***), naturae descriptor accuratissimus, in descriptione mutationum uteri, durante graviditate, orificii occlusi mentionem facit nullam. Immortalis HALLER ****): „Os uteri,” inquit, „numquam clausum est;” et celeb. STEIN *****): „uteri occlusionem graviditatis signum esse docet, exceptionibus tamen in iis, quae plus semel pepererint, valde obnoxium.” Hunc

*) Aphor. V. 51.

**) BLUMENBACH Instit. physiol. Ed. 2. §. 563. -- Le médecin accoucheur par M. LACOMBE, à Paris 1791.

***) Lehrbuch d. Anat. d. Mensch. III. §. 2307.

****) L. c. p. 466.

*****) Theoret. Anleit. zur Geburtshülfe. §. 167.

paragraphum litteris discrevi, quemadmodum singulorum dictorum adumbratio mihi requirere videbatur.

§. V.

Contra A, B, et X. paragraphum auctoris, in introductione iam prolatum a me, in ephemeridibus, *Salzburger Zeitung**) inscriptis, ubi auctoris ipsius traductio, quam secundo fasciculo collectionum ad medicinam legalem spectantium inseruit, censurae admittitur, has argumentationes invenimus, „Auctor in eorum partes transit, qui foeminam tantummodo duplici instructam utero superfoetationi subiectam esse posse contendunt. Censor vero non intelligit, quid sit, quod praeclusionem oris uterini in graviditate pro ratione huius sententiae haberi nolit; menstruatio tempore graviditatis contra praeclusionem nil probat, propterea, quod sanguis ex ore uterino externo vel etiam e vagina manare potest, alia vero argumenta etiam minus valent. Nonne per id iam, semen excluditur, quod membrana decidua cum chorio frondoso ovuli iungitur, et ovulum hac ratione uteri cavum explet? BOER, celeberrimus ille Viennae artis obstetriciae doctor, qui, si quis alius, magnum gravidorum uterorum numerum dissecavit, claris verbis in praelectionibus suis dicit: „Observatur in cervice uteri clavus mucosus, continuatio membranae deciduae, tela cellulosa constans, quam ita replevit lymphæ, ut calamo scriptorio crasso similis sit.” Magnus etiam nostra aetate anatomicus, WALTER sen. Berolini, eadem est

*) *Salzburger Zeitung* 1802. Band 3. Nro. 68. p. 310. 311.

sententia. Quis vero tam multa dissecavit cadavera? Et quod gravissimum est, in ea re semper artem obstetriciam ante oculos habuit, quippe quae per longum tempus totam ipsius industriam et assiduitatem sibi vindicavisset; id quod satis demonstrant praeparata admiranda cum arte et industria ab eo facta. Huc accedit, quod ipse de superfoetatione, de qua aliquando scribere *) apud animum suum constituerat, multum cogitavit, multasque instituit indagaciones. Propter quas etiam optimo suo iure in praelectionibus de arte obstetricia sequentem proferre sententiam potuit: Superfoetatio locum habere non potest, quia os uteri a clavo mucoso occluditur. Num vero hi viri, quibus auctor noster BLUMENBACHIUM et SACOMBIUM adnumerat, quorumque numerus multis viris de re medica optime meritis augeri posset, non, nisi pueri sunt, qui in verba magistri (HIPPOCRATIS) iuraverunt? Imo hi quoque celeb. HALLERUM saepe perlegerunt, meritamque in re anatomica ei tribuunt auctoritatem; nec certo, nisi pluribus dissectionibus adducti in alias ivissent partes.

Igitur hic auctoritatem contra auctoritatem pugnantes videmus; et sitales viros sic tractantur, facile commovetur suspicio, auctorem non veritatem, sed solummodo veri speciem in parte sua defendenda quaesivisse. Cui addere potes, HALLERI verba in hac re nihil probare posse, quia se ipse contradixit. (Vid. finis §. VII.)

*) Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblich. Geschl.
§. 33 - 56.

Ad B) autem speciatim mihi liceat hunc paragraphum ex SPRENGELII Pathologia *) proferre. „Foeminam in graviditate per vaginam interdum sanguinem profundere, neque abhorret ab experientia, neque admodum periculosum est. Multae enim foeminae inveniuntur, quae etiam primis graviditatis mensibus menstruationi subiectae sint, vel adeo eo tantum tempore ordine suo eam habeant. (ROEDERER Opusc. p. 400.) Tunc autem in iis foeminis sanguis vel ex colli uterini, vel e vaginae vasis manabat. Sic apud foeminas sanguinosas graviditatis tempore, quia uterus extensus venas iliacas comprimit, ideoque sanguis in vaginae extenuata vasa profunditur, fluxus sanguinis oriuntur, etc. (SCHROEDER Opusc. Vol. I. p. 295.

§. VI.

Quod ad C) attinet, fatendum mihi est, in anatomia comparata me adhuc non satis versatum esse, sed usque dum contrarium mihi demonstretur, amplector hanc sententiam, ubi uterus duplex sit, ibi duo adesse debere ora uterina, et ubi uterus bicornis inveniatur, ibi certo os uteri aliter formatum esse, vel membranam deciduam non usque ad os uteri continuari. Atqui etiamsi ab hoc discesseris, tamen hoc notandum esse censeo omnia animalia, sicut nunc constat, certum tantum habere tempus, quo ad coitum propensa sunt, et simulac conceperint foeminam fugere marem, qua quidem re homines valde discrepant. Igitur animal aut

*) Th. III. §. 197.

paucis diebus post primam conceptionem superfoetari necesse esse (id quod verisimiliter etiam in homine fieri posse infra demonstrabo), aut omnino superfoetari nequit.

§. VII.

Denique de D) parum ad rem facit, quod cl. HILDEBRANDTIUS silentio illud praeterierit. Fieri enim potuit, ut ei paucas tantum gravidas dissecare licuerit; nam eas non tam frequentes esse inter omnes constat. Quocirca is cautius auctore nostro de hac re sententiam suam non aperuisse videtur, quia fortassis investigando, nondum eo pervenerat, ut decernere illud audacter posset, et in diversis de hac re doctorum sententiis in partes alicuius ire noluerat. Et quod ad E) attinet, in HALLERI scriptis optime peritus SOEEMMERRINGIUS *) iam observavit, HALLERUM sibi in hac re ipsum contradixisse.

§. VIII.

Tunc auctor noster sic sententiam suam proferre pergit: „Quae quum ita sint, quumque et ab iis, quibus de possibili in hominibus superfoetatione persuasum est, hicce eventus, teste experientia quotidiana, ad casus numeretur rarissimos, alia huius rei caussa, quam mechanica oris uterini constrictio, nobis est quaerenda.

*) HALLER Grundr. d. Physiol. mit den Verb. von WRISBERG, SOEEMMERRING und MECKEL, umgearb. von H. M. v. LEVELING Th. II. 1796. §. 932. p. 774. — §. 978. p. 816. SOEEMMERRINGS Noten 624. — 653.

Quae autem caussa, si quid recti videamus, facile patet. Omnia corporis humani organa functiones suas non, nisi integra structura et mixtione peragere valent. Organo mutato aut laeso, functio quoque sua mutatur laediturque. An propterea, quod vires et functiones ab organorum structura et mixtione dependent, rite legitimeque concludi possit, vim vitalem in ipsis eorum materiei viribus quaerendam esse, hic inquirere praetermittamus, quum iam alio loco *) hac de re explicavimus. Hic tantum res ipsa, absque omni de eius caussis perscrutatione, ad scopum nostrum pertinet.

Uterus virgineus et non gravidus in genere, sanus scilicet et a conditione regulari nullo modo abhorrens, a tempore pubertatis incipientem ad senectutem usque structura et mixtione sua ita est conformatus, ut specifica, quam dicunt, gaudeat irritabilitate, a spermate virili immisso excitanda. Hancce eius irritationem excipiunt noti tam uteri ipsius, quam organorum ei vicinorum ad generationem spectantium, tubarum scilicet Fallopianarum ovariorumque, motus, conceptionem graviditatemque incipientes, qui quidem motus ab ipso conceptionis momento usque ad partum legibus nobis plane ignotis pergunt, ita, ut, conceptione ipsa extra uterum locum habente, tamen hoc viscus non solum membranam, quam HUNTER caducam denominat, formet **), sed etiam iusto tempore dolores, quamquam prorsus inanes, contractionibus suis excitet ***).

*) Grundz. d. Lehre v. d. Lebenskraft Ed. 2. p. 79. sq.

**) Abhandl. d. Lond. Gesellsch. zur Vermehr. des mediz. und chirurg. Wissens, p. 221.

***) Cf. Grundz. d. Lehre v. d. Lebenskraft, p. 114.

Simulac autem conceptio peracta est, hisce ipsis uteri aliorumque organorum genitalium motibus haec viscera in configuratione et mixtione sua ita commutantur, ut irritabilitate specifica, qua in conditione non gravida gaudent, tunc careant, sicuti v. c. membrana narium pituitaria, quando inflammatione corripitur, tam ad irritabilitatem eius specificam, sensum odoris excitantem, quam ad secretionem mucinarium, cui in conditione sana est adaptata, inutilis redditur. *Uterus virgineus* conceptione ipsa in aliud, ita, ut dicam, viscus, in *uterum nempe gravidum*, aliis viribus instructum aliosque motus functionesque peragentem, mutatur, nec actionibus uteri nondum gravidi nunc fungi potest. Sperma virile ei immissum in hocce organo, in utero scilicet gravido, nullam excitat actionem, quoniam organon nunc irritabilitate specifica semine elicienda caret."

Omitto hic sententiam prolatam adumbrare, et iudicio lectorum meorum relinquo, an praeter verba speciosa aliquid veri invenire possint. Re vera nihil aliud verba illa sibi volunt, nisi hoc, hepar secernit bilem, quia ad id factum est, sed nemo id pro rei constructione habebit, quam quidem etiam in libro eius allegato *) frustra quaeres. Tunc sequitur rationis secundae et tertiae refutatio; id quod ne verbo quidem ex rationibus iam prolati (§. I.) attingam.

§. IX.

Sequitur nunc quarta ratio his quidem verbis:

Nec maioris momenti est quantum superfoetationem lu-

*) Von der Lebenskraft.

manam tuentium argumentum, cui vir summus HALLER tantam tribuit dignitatem, *conceptio scilicet uteri, in quo foetus mortuus vel imo osseus seu lapideus, adhuc adest.* Iis quidem, qui propter orificii uterini occlusionem superfoetationem fieri non posse contendunt, argumentum hocce plane irrefutabile esse debet, nec memini, me unquam ab iis superatum id invenisse. Quenam enim ratio reddi potest, cur uterus clausus, si foetus in eo contentus mortuus est, aperiatur? Irritationis forsán foetus viventis motibus effectae cessatio? At enim vero, foetu in primis graviditatis temporibus adeo exiguo, ut oculorum aciem omnino fugiat, uterum ad contractiones eius orificii magis irritari posse, quam foetu fere perfecto, etsi mortuo, coniectura valde improbabilis est. — Secundum autem ea, quae supra de caussa, cur superfoetatio locum habere nequeat, quae nobis arridet, diximus, hoc argumentum tantum abest, ut sententiam nostram refutet, ut eam potius suffulciat. In hisce scilicet exemplis, cessante vita foetus et eius coniunctione cum utero, graviditas ipsa cessat. Uterus nunc in statum non gravidum, virgineo (!) quodammodo similem, redit, praeterquam, quod foetus, sicuti corpus alienum, in cavo eius restet. Conditio eius gravida, non ab eius distentione, sed potius ab eius motibus vitalibus pendens, cessat, et iam in statum non gravidum, conceptioni idoneum, redit. Ab hisce casibus morboris consequentia igitur ad statum regularem cum sanitate congruum omnino non valet!"

Res sane mirabilis, cui, nisi experientia ipsa tam certa esset, haud dubie theoria id opponeret. Ex specifica uteri

irritabilitate, satis elucet in eiusmodi morbosa affectione uterum concipere non posse. Et quidem id non una tantum vice factum esse, haec HALLERI*) verba nobis indicant. „Certissimum est, et innumerabilibus exemplis confirmatum, et animalia, et foeminas concepisse, et peperisse, dum conceptum priorem mortuum, etiam lapideum, in utero mater retinebat. Sic in vacca praeter marcidos foetus, qui in utero erant, vivos etiam RUYSCHIIUS reperit, in catellis alii, in foemina humana similia non sunt rarissima.”

Quum igitur hocce factum revellere non posset auctor noster, aliam iniit rationem, et ad sententiam suam sustentandam adhibuit, quicquam, quod mihi quidem videtur, uti Germani dicunt, crinibus adduxisse.

Sed ut meam tandem de hac re proferam sententiam, hoc equidem statuo: Quia simul cum causa, quae foetus mortem adducit, e. g. terrore, vel magna debilitate, quae foetum usque ad finem nutrire nequit, nutritio et status quasi inflammabilis cessat (hoc ipso enim mutua uteri foetusque ratio tollitur et sola uteri vis in foetum restat, qui tunc nihil aliud est, nisi corpus inorganicum, quod in utero nullo modo et vi quadam efficaci servare se potest), uterus membranam caducam et, maiorem si vim habet, etiam corpus nunc inorganicum factum eiicit, ideoque ad novam conceptionem idoneus fit.

Ceterum et id animadvertendum est, foetum, quamquam primis graviditatis temporibus tam parvus sit, ut solis oculis conspici nequeat, tamen vim exercere in uterum oportere;

id

*) Element. Physiol. L. XXIX. p. 466.

id quod ex hoc uno, omissis aliis argumentis, satis elucet, quod uno certo tempore foetus ad uterum vim habere debet, atque quibus rationibus adducti credimus, hominem ab ipso conceptionis momento vivere, iisdem plane persuadeor, ut foetum primis gravidationis temporibus efficacem ad uterum vim habere existimem.

Huc accedunt haec duo momenta. Primum, etiamsi primis gravidationis temporibus foetus parvus sit, tamen uteri cavum etiam parvum est, ut facillime prorsus impleri possit. Secundum, omnes usque ad nostram aetatem scriptores putant, membrana decidua — quae statu quasi inflammabili progignitur — uteri os cavumque parvum impleri.

(Profecto meliorem requirit perscrutationem, quibus rebus hic status inflammabilis gignatur. Nam sane mirandum est, eum etiam in conceptione extrauterina existere; id quod multi scriptores contendunt.)

§. X.

Denique ad quintum ultimumque venio momentum, ubi hisce verbis auctor noster pergit:

„Quod demum ad *observationes, secundum quas ex duobus foetibus alter longo temporis intervallo post alterum ex eiusdem matris utero editus est*, attinet, hic sequentia nobis alicuius momenti esse videntur.

I. Permultae eiusmodi narrationes suspicionem praebent fraudis, adeo, ut ipse HALLER, quamquam superfoetationis defensor, tamen non omnibus hisce historiis fidem det illi-

mitatam. †) Observatores ut a muliebribus artificiosis decipiantur, aequae saepe contingit, quam ut propensione quidquid inauditi, vel certe rarissimi, enarrandi fallantur.

II. Superfoetationis causa supposita, scilicet coitus post conceptionem, adeo praesto est, ut, si fieri posset, non ad casus rarissimos, sed potius ad frequentissimos, pertinere deberet.

III. Observationes denique exstant, etiam in foeminis humanis interdum uterum duplicem inveniri, quarum plures apud GRAVEL *), HILDEBRANDT **), BAILLIE ***) invenies, quibus adhuc casus a cl. POLE ****) observatus addi potest. „In omnibus eiusmodi casibus, monente iam GRAVELIO *****), superfoetatio humana aequae ac in animalibus aliis, utero duplici praeditis, omnino locum habere potest.”

§. XI.

De ea re quoque pauca nobis sunt proferenda.

Quamquam de No. I. prolatis maxima saltem parte concedere possum, et ipse concedo, tamen animadvertendum est, non tam temere historicam fidem respuendam esse, tunc enim gravissimas scientiae naturalis res, quas vulgo inepto vocabulo *naturae lusus* vocamus, plane repudiare oporteret. Id

†) L. c. pag. 465.

*) L. c. §. XVII.

**) L. c. §. 2295.

***) L. c. p. 224. cf. CONRADT's Handb. der pathol. Anat. p. 322.

****) Merkwürdige Abhandl. der zu Lond. 1773. erricht. mediz. Gesellsch. Bd. 4. S. 166.

*****) L. c.

vero inconsiderate faceremus, quia saepissime casus quidam rarior et irregularis viam nobis monstravit ad statum regularem perspicendum, et, ut ita dicamus, velamenta naturae detraxit. Neque omnes scriptores tam futilibus quibusdam rationibus fidem historicam negavere. Sic enim PLOUCQUETIUS *) noster inquit: „HIPPOCRATIS **) iam temporibus superfoetationem cognitam habuere. Multum de eo disputarunt, fierine possit, nec ne; et revera difficilis est intellectu, non ideo, quia os uteri clausum sit (hunc enim errorem reiecinus), sed ob pulposam seu deciduam HUNTERI membranam, totam internam uteri superficiem et tubarum Fallopiarum ostia obtegente ***). Utcunque demum hoc sit, tam multa superfoetationis exempla et historias habemus, quod foemina uno vel pluribus mensibus post partum iterum pepererit ****), ut omnis fides historica ad superfoetationes negandas tollenda esset.”

*) Ueber die physischen Erfordernisse der Erbfähigkeit der Kinder. S. 101.

**) Περι εγκυήσεως.

***) In hoc autem a PLOUCQUETIO nostro alii dissentiunt, quippe qui membranam deciduam seu caducam HUNTERI ostia tubarum Fallopiarum non obtegere dicant. Vid. STEIN theoret. Anleit. z. Geburtshülfe, 6. Aufl. §. 292. DANZ Grundriss der Zergliederungskunde des ungeborenen Kindes. Bd 1. §. 8. p. 20. FRORIEP theoretisch-practisches Handbuch der Geburtshülfe. §. 135. u. 151. u. a. m.

****) HALLER Elem. Phys. L. XXIX. p. 464. h, und SCHURIG Syllepsilogia Sect. III. Cap. II.

§. XII.

Quae Nro. II. protulit, de iis infra uberius agam. In Nro. III. et in ultima paragraphi X. verba: „in casibus a statu sano abhorrentibus, in quibus matrix humana adest duplex, superfoetationi locus praebetur,” animadvertendum est: quamquam prolata vera sint, id nobis non dare potestatem, omnes observationes, omissis ulterioribus indagationibus, huic casui subiiciendi, et de hoc vide infra §. XIV.

§. XIII.

Antiquam quidem hucusque sententiam protuli defendique, sed quo successu, lectoris est iudicare, et si „Roossii *) irritabilitas uteri specifica eiusque excitatio a spermate virili immisso” aliud quidquam praeter hoc dicere vult, quia uterus concipiat, simulque cum conceptione, membrana decidua formetur, clavoque mucoso os uteri claudatur, superfoetationem existere non posse; eam spero me refutasse, simulque demonstrasse, *Roosianae* **) sententiae, in fine introductionis meae prolatae, rationem non sufficientem esse. Nam minime irritabilitas mutata per se superfoetationem impedit, sed si conceptio casus, qui a viris citatis (§. V.) descripti sunt, in utero profert, superfoetationi locus non datur.

Iam reliquum est, ut meam ipse sententiam proferam, ex qua puto superfoetationem quidem existere posse, sed si

*) De superfoet. nonn. p. 8.

**) Introductio und Grundriss etc. §. 112.

quosdam casus exceperis, verisimiliter non, nisi paullo post primam conceptionem; quamdiu vero hoc fieri liceat, nostris temporibus et pro hodierno medicae disciplinae statu non posse stricte accurateque definiri.

Haec autem nostram sententiam uberius demonstrabunt.

Probari nequit superfoetationi locum non esse: Nam etiam concessis illis BOERII, WALTERI aliorumque virorum clarorum iam prolatis argumentis, quando tempus istud incidere oporteat, quo os uterinum occluditur, constitui non potest. Nullus enim illorum virorum ex dissectionibus affirmare potest, id secunda vel tertia hora fieri. Primo enim haud saepe datur occasio, foeminam in primis quatuordecim diebus post conceptionem dissecandi, deinde ab uno argumento non valet argumentum in caetera; Nam id modo, quod saepe multumque experti sumus, certiores nos facere potest, ut pro veritate illud certissima, licet non ab omni dubitatione exempta habeamus. In vivis exploratio esset difficilis, et propter detrimentum, quod inde afferri posset, omnino omitenda est; idque eo magis, quia haec exploratio vel exactissime instituta nil probare potest. Nullus enim medicus ex oris uterini structura demonstrare potest, eum in coitu summaque exaltatione non posse commutari. Quae quidem disquisitio eo incertior fit, quod etiamsi colli uterini orificium externum apertum est, tamen orificium internum obturatum esse potest.

Omnis igitur spes rem certiore facienda in animalibus sita est, quae tamen eiusmodi generis esse debent, ut uterum tantum simplicem, et fere idem tempus gravidationis habeant.

Sed tum quoque ex disquisitionibus multis cum sumptibus coniunctis non, nisi conclusionem nancisceremur plurimis obnoxiam dubitationibus. Vid. e. g. quae §. VI. de discrimine inter hominem et animalia post conceptionem prolata sunt. — HALLERUS *) iam dixit: „uterus in animalibus sine dubio, in hominibus vero verisimiliter occluditur.”

Superfoetationem autem existere posse, et revera existere, multi praeclarissimique viri crediderunt, e. g. HALLERUS **), PLOUCQUETIUS ***), et MECKELIUS †), qui dicit: „in homine multa argumenta superfoetationem probant.” Eadem sunt sententia novissimi scriptores, v. g. KNEBELIUS ††), haec verba proferens: „argumenta scriptorum, qui superfoetationem esse negant, nobis non persuadent, partimque prorsus inania sunt.” Eadem habet cl. FRORIEPIUS †††). Nam quamquam is superfoetationem esse non voluit, tamen eam concessit et satis duxit, aliud rei nomen imposuisse. Iam vero quodnam interest discrimen inter *superfoecundationem* et *superfoetationem*? Dies sextus, dies decimus, dies decimus quintus, num hi omnes ad superfoecundationem an ad superfoetationem pertinent? Sed proferam ipsum paragraphum. Etenim quamvis prolata sententia et mea quodam-

*) Grundrifs Th. II. §. 932.

**) Grundrifs d. Phys. Th. II. §. 981.

***) Vid. §. XI.

†) HALLERS Grundrifs d. Phys. §. 981. N. 662.

††) Grundrifs zu einer Zeichenlehre der Entbindungswissenschaft. §. 424.

†††) L. c. §. 132.

modo est, tamen puto rem non verbis esse disiungendam, quae reapse certam non admittat disiunctionem. „Superfoecundatio si duo ovula non eodem tempore, sed in duobus se invicem excipientibus foecundationibus (saepius a duobus viris factis) foecundantur, locum habere potest (in graviditate multiplici fortassis saepius, quam vulgo creditur), si secunda compressio facta fuerit, antequam ovulum in coitu antecedente foecundatum, in uterum venerit. Superfoetatio autem, ubi duo vel plures foetus temporibus a se invicem longe remotis procreantur, tum solum locum habere potest: 1) si conceptionem uterinam conceptio et graviditas extrauterina antecessit, 2) si uterus duplex adest, quo casu foetus quoque duobus diversis temporibus procreati, diversis temporibus nasci possunt.” — (Huc accedit, quod non probatum est, cur superfoetatio tunc locum porro habere non possit, si ovulum in uterum intraverit. An id de ovulo quoque adhuc parvulo et de primis diebus potest dici?)

§. XIV.

Exemplo autem nobis est historia illa a BUFFONIO *) prolata, quam cl. FRORIEPIUS quoque ante oculos videtur habuisse. Foemina in America gemellos edidit, alterum albo, alterum fusco colore. De admiranda re inquisitio instituitur, denique foemina fatetur, postquam vir ipsius eam compressisset et abiisset, nigrum hominem advenientem ipsam vi-
tiasse. MÜLLERUS **) etiam eam rem iis adnumerat, ubi ute-

*) Naturgesch.

**) Entwurf der gerichtl. Arzneiwissenschaft Th. I. §. 212.

rus duplex affuerit; sed quo iure, equidem nescio. Nam si quid ad rem quandam referri potest, non statim nobis permissum est dicere: hic fuit ea res. Fugit enim me, an partium inspectio, vel viva, vel mortua foemina, instituta fuerit, et eo magis admiror MÜLLERUM tam leviter hanc rem tractasse, quum in aliis quaestionibus tam bene cauteque processerit.

Et si denique cl. METZGERI *) opinio deinde proferenda vera esset, profecto male actum esset de omnibus iis, qui casus, quos negare nequeant, statim ad id referant, quod duplex uterus adsit. Sed METZGERI opinio, quamquam rationibus optime suffulta, tamen nondum probata est; at vero eius sententia nobis exemplo esse potest, quanta in hacce re inter eruditos opinionum diversitas sit. Et hoc certe officium nobis iniungit in re dubia cautius agendi. Quamquam enim legislator eodem iure, et fortassis gravioribus ex rationibus, ex quibus dicere potest, si mater infansque mortui inveniuntur, et inquisitio certiores nos reddere non potest, uter prius mortuus sit, mater pro prius mortua habenda est, etiam hoc pronuntiare potest: Quaestiones de superfoetatione in foro publico non admittuntur; quamquam igitur legislator rationibus hoc loco non perscrutandis eiusmodi edictum proferre potest, tamen medicus non potest dicere: optime fecisti; nam nos docti superfoetationi in homine locum non esse scimus.

Sed

*) System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft §. 465.

Sed quoniam plures iam eruditorum sententias protuli, restat, ut METZGERI quoque sententiam proponamus. „Superfoecundationem vel potius superfoetationem pro ficta quadam re habemus *a*); quae propterea non nisi tunc, quum a dolosa foemina simularetur, medicinae forensis quaestio fieri posset, tum vero dolus facile detegeretur.”

a) Eiusdem sententiae facultas medica Hallensis fuit (conf. ALBERTI Tom. 1. cap. 2.). Contra quidem monitum est, attamen superfoetationem in utero certe duplici fieri posse, sed id ipsum dubium mihi est. Si uterus enim duplex membrana intermedia divisus est, neutrum cavorum foetui satis loci dare potest *); imo etiam, si vagina duplex est, ut in exemplo illo EISENMANNII (de utero dupl. Arg. 1764.), foemina virum ne admittere quidem potest, quia utraque vagina nimis angusta est. Superfoetationem ab concubitu inter paucas horas iterato concedo, sed tum foemina gemellos concipit.

Quum autem in BOERII, WALTERII aliorumque partes transeam, sententia mea haec est: solummodo usque ad tempus, quo res iam prius descriptae appareant, superfoetationi locum esse. Quamquam vero, certum diem, quo ea fiant, definire non possumus, tamen pro ea, qua nunc pollemus, scientia, primis quatuordecim diebus vel saltem usque ad vicesimum conceptionis diem, et verisimiliter iam antea hoc

*) Discrimen interest inter uterum bilocularem et uterum duplicem, quos auctor hic confudit. Vid. LODERS Anthropologie 3te Aufl. §. 314.

feri debet. Hinc sequitur, exceptis rarioribus casibus, si forte infans mortuus vel adeo ossefactus fuerit, non nisi paullo post primam conceptionem existere posse superfoetationem.

Jam vero ad id, quod gravissimi in eo genere momenti est, transgredior, nempe ad tempus, quo superfoetatio haud amplius oriatur. Hoc equidem definiri non posse censeo. Quocirca medici, qui ROOSII *) auctoritatem et verba in introductione iam prolata in medicina forensi adhibere voluerint, male mihi agere videntur.

*) Grundriss §. 112.
